

20.336

Pieces or less $8\frac{1}{2}$ yds or A

Armenia et Iudea a uero

881

Foll. 20.336

VNIVERSAE PHILOSOPHIAE
THESES,

Q V A S

PVBLICAE CONCERTATIONI
PROPONIT

D. PETRVS TODOLÍ , ET AMORÓS,
ORCEL. SEMINARII TOGATVS ALVMNVS.

PATRONO

D. D. JOSEPHO ESCRICH , ET MARTINEZ,

IN EODEM SEM. PHILOSOPHIAE PROFESSORE.

CERTAMINIS LOCVS PARABITVR

IN ORIOLENSI SS. VV. IVSTAE , ET RVFFINAE
TEMP. COLLEGII PALAESTRA.

DIE 8

MENSIS IVNII ANN. MDCCCLXXXVI.



MVRICIAE.

Apud VIDVAM Philippi Teruel : Via Lintearia.

ANNUAL REPORT

THE STATE

OF MASSACHUSETTS

BAPTICATE CONGREGATION

PROSPECTUS

D. DELEAS E. COOPER, AMBROSE

ORGANIZATION OF THE CHURCHES

OF NEW ENGLAND

D. DODGE, SECRETARY

IN FORTY-EIGHTH EDITION

CITY OF BOSTON

PRINTED FOR THE CHURCHES

IN THIS COLLECTION

BY JAMES L. HARRIS

1812

MASSACHUSETTS

ABRAHAM HUBBELL MAY 1812

CLARISSIMAE

EXCELLENTISSIMAE QVE

D. D. MARIAE LUDOVICAE CENTVRION,
et Velasco, Arias, Fernandez de Cordova, Carri-
llo de Albornoz, Cardenas, Lopez de Ayala, Por-
tocarrero, Ursino, Mendoza, et Zapata, cet. Bi-
gerrae, et Astapae Marchionissae, Iuliobrigae, Vi-
llanueva del Fresno, Bedmar, Moya, Eliseda, et
Asentar in Portugallia; Armuña, Laula, Bibola,
Monte de Bay, et Alameda, Noguera, et Casasola;
Ducissae Ascalonis in Carpetanis; Comitissae San-
cti Stephani de Gormaz, et Fuensalida, Castañeda,
et Xiquena, Oregiae, Casapalma, et Varadiae, Pu-
ñonrostro, Elda, et Anna; Dominae Ilarconis, Di-
tionis de Villerias, Oppidorum Jumilliae, Almazar-
ron, Jorquera, Seronis, Tigiolae, Toloxii, et Mun-
dae, Ilipae Italicae, et Puerto seco, Moguer, Bel-
montii, Garganta la olla, Piña de Campos, et Vico-
rum sibi subditorum; Santillan, Toranzo, Vallium
de Iguña, Buelna, San Vicente, Rionansa, Tudan-
ca, Ordejon, et Honor de Sedano; Alfoces veteris,
et novae, Santa Gadèa, Paredes, Rubias, Bricias,
Brañosera, vicorumque, ex quibus constant; et Oppi-
dorum Pujayo, Isar, Villanueva de Argaño, et Car-
tes;

tes; Pedrera, Oreja, Lillo, Huecas, Humanes, Guadumur, Las Posadas, et Rejas; Vicorum, et Castorrum Torrejon de Velasco, Pozuela, Palomero, Alcovendas, Fuentidueña, San-Agustin, Pedrezuela, et Montium de los Bomberos; Vicorum Petrel, Enguera, et Malon; Pagorum Pedreguer, Piles, Palmera, Salinas, et Alberta; et Baronatum Relieu, et Almedixar, cet. cet. cet.

PETRVS TODOLI, ET AMOROS

FELICITATEM.


Onbeatum mehercle libellum, qui lectissimam, clarissimamque feminae natus es singulari quodam beneficio deosculari pedes! O me vere fortunatum, qui oblatam ultro occasionem opusculum hoc TIBI, EXCELLENTISSIMA DOMINA, insisti per exiguum, non modo perlibenter arripui; verum etiam,

quam

quam adcuratè potui, et quaesivi, et enixe flagitavi! ;
Qui enim Maecenatem efflictim non deperirem, anxie-
que non requirerem, cui, praeter eximiam, quae ipsi
contigit, animi sortem; ingens, imo, pene incredibi-
lis virtutum complexus ab ipsa rationis usura, ita hae-
ret infixus, ut naturae ductu, non labore comparatus
esse videatur? ; Maecenatem, cuius solers iudicij ma-
turitas, inviolabilis aequitatis amor, placida, dulcis-
que totius vultus moderatio, ita invicem de palma de-
certant, ut ex eis quodnam ceteris antecellat, diffi-
culter valeat praesentiri? ; Maecenatem demum, in
quo non fucata, sed ingenua erga Deum Religio,
officiosa erga Rempublicam pietas, admirabilis erga
egenos clementia, assidua erga pauperes misericordia,
profusa erga omnes caritas sic coruscant, ut quid
laudare, aut oratione complecti debeam, penitus i-
gnorem? Et quidem si, quae in TE extant commen-
datione digna, eo, quo debent pacto, essent profe-
cto celebranda; nullius tanta foret dicendi facultas,
mentisque vigor, quae oneri huic satis essent: Quòd
si quampiam ex eis gemmam, quibus mirifice redi-
miris, tractare, eiusque gradum explorare tentem;
praeterquamquod incompti mei sermonis vilitate ob-
nubilari, sit omnino necesse; scintillantem statim al-
teram conspicio, quae intuentium oculos perstringens,

opus

opus cogat abrumpere inchoatum ; Quid igitur in má-
ximis , difficillimisque , quibus versor , angustiis ca-
piam consiliī ? ; Fortassis antiqua celsissimae stirpis
TUAE monumenta , avitam natalium **TUO RUM**
claritudinem , illustrem generis splendorem , immor-
talia maiorum **TUORUM** facinora , invictam in de-
bellandis Patriae hostibus fortitudinem , supremos ho-
nores , amplissimas dignitates , praeclarissima mu-
nera collaudabo ? Ast haec nulli sunt non nota , nul-
li non conspicua , quaeque non modo utramque equi-
dem paginam , sed integra implerent volumina , si
per summa tantum capita , obiterque ea vellem attin-
gere. Quandoquidem ergo ea omnem prorsus laudem
superant , quae **TE EXCELL. DOM.** et animi , et
corporis cingunt ornamenta ; iccirco satius esse duxi ,
hacce re missa , **TUAM** implorare opem , cuius spe
magnopere recreatus , hilarem arridere fortunam , mi-
hi certe persuadeo. Interim Deum O. M. multa vene-
nor , ut **TE Regi** , Patriae , bonis omnibus iubeat
salvere. E Collegio-Seminario Oriolensi , Kal. Maii ,
ann. **MDCCCLXXXVI.**



PHILOSOPHIA IN VNIVERSVM.

1 Graeco vocabulo in Latinum sermonem translato aliud nihil est philosophia , quam amor , seu studium veritatis ; attenta verò re , quae hoc vocabulo designatur , cognitio certa , et evidens rerum per causas , lumine naturali parta.

2 Hanc in nobis existere nullus , qui sanè sapiat , ibit inficias ; probè tamen novimus , plura à nobis ignorari , quam sciri.

3 Ut simplicium deceptricem , haeresum parentem , rixarumque ministram nonnulli reiiciunt philosophiam , sed immerito sane ; quantum enim hominibus utilitatis afferat , nemo non videt.

4 Humano generi coeva facultas ista est ; primi namque Parentes à supremo naturae auctore infusam habuere. Bruckero , et Heinecio repugnantibus haud movemur.

5 A parentibus in filios fuere multa ore tenus transmissa , quae temporis decursu oblitterata , eò philosophia pervenit , ut fere de hominum exciderit mente : pro illius ergo restauratione decertarunt viri fama simul , ac eruditio- ne praestantes , quos eius secundarias efficientes causas nominamus.

6 Cum genio non minus , quam vultu homines differant , in tot fere sectas partita fuit haec facultas , quot illius erant professorum capita. Italici hinc , Ioni- ni , Academic i , &c. prodiere.

9 Libertatem philosophandi in coelos extollunt Recentiores ; victas Peripa- teticos Aristoteli manus dedisse , ad stomachum usque conclamant. Id tamen de quo tantopere conqueruntur , in sinu habent. Ipsi licitum est Cartesii , Gas- sendi , Nevtoni &c. opinionibus mordicus adhaerere ; Soli ergo peccabunt Peripatetici summorum virorum vestigia sequentes ? O miseranda hominum coecitas !

8 Nos philosophi cum esse velimus , et ad veritatem , ut ad unicum nostrae professionis scopum viribus totis tendamus , eam ubicumque inveniemus , am-

II

pleteatur. Hinc nec in Goudini, Iacquieris, Roselli, aut alterius philosophi verba iuramus, sed modo hunc, modo illum nostrum facimus, prout veritati accedere, aut ab ea recedere arbitramur. Quod autem Mag. Aquinatem praeceteris, si physica quaedam excipias, ducem, ac magistrum habeamus, vere philosophandi libertati non officit.

9 Hanc tractandae philosophiae methodum observabimus, ut 1 Logica, 2 Physica, et Physico-Mathematicae, 3 Ethica, 4 Methaphysica tradantur.

10 Quae in puris mathematicis invenitur certitudo, in omnibus de quibus philosophia, quaerenda non est.

LOGICA.

A Graeco Logos vocabulo originem trahit Logica, cuius ope verum distinguimus à falso.

12 Naturalis dicitur una, qua sine ulla praceptis quisque ratiocinatur; artificialis altera regulas optimi discursus complectens.

13 Vera, propriaque scientiae ratione logica gaudet, arti tamen non nihil assimilatur.

14 Non practica tota, nec theoretica simul et practica, sed speculativa solummodo scientia est.

15 Reliquas facultates, ac disciplinas frusta conatur perfectè adquirere, qui logicae artem non didicerit; imperfecta tamen scientiarum notitia potest absque illa donari.

16 Tribus mentis operationibus omnis nostra cognitio concluditur apprehensione nimirum, iudicio, et discursu.

Apprehensio prima mentis operatio.

17 Actus mentis rem simpliciter absque affirmatione, aut negatione percipientis nuncupatur apprehensio.

18 In corporali sensoriorum organorum motione perceptionem constituunt Leucippus, et Epicurus. Pudet me, dicam cum Aug. ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire.

19 Materiam cogitandi capacem Lokius propugnat; propriis armis hominem retundamus; tam est contra ideam materiae cognitionem producere, quam contra ideam trianguli sibi efficere angulos duobus rectis maiores. Verba Lokii lib. 4. c. 10. §. 5.

20 Mentis actio perceptio est, minime passio. Ergo obmutescat Cartesius.

Ter-

III

- 21 Terminis nostra manifestatur perceptio. Est siquidem terminus signum rei simplici apprehensione perceptae.
- 22 Quod potentiae cognoscitivae aliud à se reprezentat, signum audit. Non nullas signorum, terminorumque proprietates, ac divisiones rogatus exponam.
- 23 Ut male locatis fundamentis nihil tutò construitur, ita haud ritè perceptis terminis nulla habetur certa cognitio. Perceptio igitur terminorum ut perfecta sit, integritate, claritate, simul, ac distinctione donari oportet.
- 24 Attentio, cuius defectu maximi errores contingunt, quibusdam valet conciliari praecepsis, de quibus dum volueris.
- 25 Bifariam accipit definitio, nominis, explicans proprium nominis significatum, & rei, naturam designans rei significatae.
- 26 Scientiarum dux vocatur divisio; facilius enim per partes res cognoscuntur. Huius sicut, et definitionis divisiones, et leges interroga.
- 27 Ad modum sciendi, quo ignotum patefit, utramque pertinere constanter affirmo.
- 28 Quod graece appellatur idea, forma à Latinis dicitur, estque illa, image res menti reprezentans. Impressa est, et expressa, quae ad cognitionem prorsus sunt necessariae.
- 29 Cum perceptionibus ideas confundit Arnaldus, nobis placet distinguere.
- 30 Nullae à corporibus exeunt minutissimae atomorum contexturae, in quibus ideae intellectuales sint reponendae.
- 31 Nec materiae modificationes esse valent ideae: Hobbesium, Voltaire, Nebulonesque caeteros flocci facimus.
- 32 In axioma abiit inter Scholasticos, nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: Ergo ideae menti congenitae reiiciendae? Ita.
- 33 Ex eodem manat fonte Supremi Numinis idea, qua hac in vita cognoscitur. A magnitudine enim creaturae potest cognoscibiliter creator omnium videri.
- 34 Animam nostram omnia in Deo, istumque in se ipso immediatè videre, arrisit Malebranchio, minime vero nobis.
- 35 Nullomodo mens valet res immediate percipere in corpore imagine phantasiae, neque in cerebro tanquam in sensorio.
- 36 Explosis igitur, ac refutatis tot Philosophorum sententiis, una nobis superest amplectenda, pro qua Scholarum Angelus stat: Hanc exponemus libenter, et pro viribus sustinebimus.
- 37 Nedum voces, mentisque conceptus universalitate gaudent, sed, et naturae illis correspondentes.

IV

- 38 Naturae universales non existunt extra singulare, sed sunt ipsae singularium naturae, quae mentis abstractione modum universalitatis induunt.
- 39 Mentis operatione sublata, naturam formaliter universalem reperies nullam.
- 40 In logicum, et metaphysicum universale partitur; sciscitare notiones.
- 41 Quinque sunt, auctore Porphyrio, universalis species, Genus videlicet, Species, Differentia, Proprium, et Accidens. Probamus divisionem.
- 42 Generis definitio haec est, unum aptum multis specie differentibus inesse, ac de illis in quid incomplete praedicari.
- 43 Per respectum ad inferiora speciei, de quibus in quale quid praedicitur, differentia constituitur universalis. Varias audies illius, sicut, et generis divisiones.
- 44 Genere, et differentia constat species, quae de individuis ut tota rei essentia praedicatur.
- 45 Naturam rei proprium necessario consequitur; accidens vero continenter.
- 46 Praedicamentum est series specierum sub uno supremo genere coordinatarum. Decem merito numerantur; Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, et Habitus.
- 47 A substantia initium ducimus; haec non in substentatione accidentium, nec in existendi in alio negatione, sed in exigentia per se subsistendi essentia liter constituitur.
- 48 Primum inter accidentia locum occupat quantitas, in cuius investiganda natura unius labii non omnes sunt. Nos in extensione partium *in ordine ad se*, ut loqui amant, reponendam censemus.
- 49 Realis relatio, quae in puro respectu consistit, in creatis dubio procul est admittenda. Aliquas subiit divisiones in palaestra exhibendas.
- 50 En qualitatis notionem, cui subscribimus: Accidens modificativum, seu dispositivum substantiae in se ipsa. Eius species numerabimus.
- 51 Quoniam parum utilitatis Dialecticis afferre nata sunt caetera praedicamenta, uti Broccensis multo pridem observavit, eorum, sicut et post praedicamentorum notionem, partitionemque per summa saltem capita aperiemus.
- 52 Quas sensu, ac meditatione adquirimus ideas, cum aliis communicare nos debere plerumque contingit. Commodissime id ope vocum exequitur; est igitur vox sonus hominis ore per instrumenta naturalia prolatus.
- 53 Ab hominum arbitrio, et voluntate tota pendet vocum significatio, à natura autem minimè.

54 Diu homines belluarum instar vixisse humani sermonis expertes , non nullorum est opinatio. Displacet.

55 Ante babelicam confusionem unius labii omnes homines fuisse , adversus Genuensem docemus.

56 Nedum sensitiva cognitione homo gaudet , verum , et intellectiva , quae ad absentia se extendit , et futura. Hinc conceptus nostros posteris patefacere haud valemus , nisi medio aliquo firmo , et stabili ad absentes facile commaneante. En Scripturae necessitas.

57 Varia admodum cum in pronuntiandi , tum in scribendi ratione apud diversas Nationes diversitas existit. Referemus.

Iudicium secunda Mentis operatio.

58 Actus , quo Mens binas ideas inter se comparans unam de alia affirmat , aut negat , nuncupatur iudicium.

59 A Cartesii recedentes sententia iudicium actum voluntatis non esse adstruimus , etsi ab ea applicative dependeat.

60 Iudicium propositione exprimitur ; est ergo propositio oratio enuntiativa unius de alio.

61 Nonnullas patitur divisiones , quibusdam etiam gaudet regulis , ac proprietatibus. In Circo.

62 Praecipua Mentis humanae perfectio , omnisque summa sapientiae in rectitudine iudicii collocatur ; ad quam sufficiens rei examen , simul cum proportionato cognitioni iudicio exigimus.

63 Frequentissimi irrepunt in iudicia nostra defectus. Horum habeto causas ; vitiosam terminorum perceptionem , praeceptionem , praeoccupationem , imaginationem , et sensus.

64 Media tamen non desunt , quibus huiusmodi possint vitari defectus : regulas dabimus , quas in hanc rem tradit Goudinus , auctor vel Pauliano teste , politissimus.

65 De adipiscenda veritate omnino despelandum delirarunt quondam Academicci. Stultiorem hac opinione legi nullam.

66 Eadem , qua priores corda aberrat Descartes , qui ad veritatem inventiendam apti ut reddamur , praeiudiciisque omnibus exuamus de omnibus iubet indistincte dubitare. Insanum re vera praeceptum.

67 Ergo omni omnino dubitationi vale dicimus , eamque aspernamur ? minime gentium ; quae disputationis causa fit , utilem , quae de propositionibus incertis necessariam defendimus.

VI

Criterium veritatis, et Critica.

68. Quamquam veritatem adversus Academicos posse unquam à nobis attingi propugnemus, non tamen omnia, quae menti proponuntur inconsulto debent amplecti; igitur aliqua debet statui norma, qua tanquam lydio lapide verum secernatur à falso, haec criterium audit.

69. Fidei nostrae mysteria naturalis luminis sphaeram excedunt, hoc ergo illa metiri, insanire est; attamen quod in Theologia falsum, philosophice verum non est.

70. Pro rebus intelligibilibus dijudicandis rationis evidētia optimum est veritatis criterium.

71. Pro eis vero, quae sub sensum cadunt, sensum recte dispositorum circa propria sensibilia evidentiam pro criterio adstruimus.

72. In factis historicis humanae auctoritati fidendum; haec certitudinem moralem dumtaxat generat.

73. Quae de aliorum scriptis ars iudicat, Critica dicitur. De factis historicis iudicium ferre, à suppositis genuina auctorum opera secernere, in iisque obscura loca interpretari, Criticae munus est, cuius proinde utilitatem negare, in meridie caecutire est.

74. Nec in quolibet Ecclesiae saeculo defuere artis criticae cultores; suo ordine declarabimus.

75. Regulas, quibus historiae veritas internoscitur in pugna assignabimus, una cum canonibus, per quos genuini libri à suppositis distinguuntur.

76. Artem, cuius medio legitime interpretatur scriptorum sensus hermeneuticam vocant. Utilia nimis praęcepta ad id muneric exequendum reserabo.

Discursus tertia Mentis operatio.

77. Ad tertiam Mentis operationem nostra progreditur oratio. Mentis actum, quo ex uno, pluribusve iudiciis aliud iis conexum deducitur, iure discursum appellabis: Id iſſiciens oratio, dicitur argumentatio. Eius desideras species? In arena.

78. Syllogismi nomine nihil aliud venit intelligendum, quam ratiocinatio tribus propositionibus arte quadam dispositis enuntiata. Syllogismi naturam, divisiones, modos, figurasy nostra interest apperire.

79. Demonstratio est syllogismus constans ex propositionibus necessario, et evidenter veris.

A

B

In

VII

80 In demonstratione assensus praemissarum efficienter concurrit ad assensum conclusionis.

81 Posito demonstrativarum praemissarum assensu, non potest intellectus non adsentiri ex eis deductae conclusioni.

82 Demonstratione paritur scientia, cuius actus circa idem obiectum opinionis non compatitur actum.

83 Modo opinionis habitus in actum nequeat prorumpere à scientiae actu haud excluditur.

84 Actus scientiae actualem Fidem expellit, similiter et habitus habitualem.

85 Si scientiae actus nullum producat habitum, cum Fidei habitu valet copulari.

86 Quod philosopho argumentum suppeditat topicus locus nominatur. Decem enumerabimus, similiter, et fallacias, quibus argumentationes nostras nonnunquam maculari contingit.

Methodus.

87 Logicae finem imposituri, de methodo tractemus oportet, qua qui cauerit, temporis abs dubio faciet jacturam. Methodus, quae est modus ordinate procedendi in cognitione veritatis, in analyticam partitur, et syntheticam.

88 Certi statuuntur pro utraque methodo canones; ex Goudino loquemur.

89 Non possum quin illorum rideam opinandi modum, quibus nihil mathematica methodo haud exornatum bene sapit: probe enim scimus eam perfecte, et absolute in scientiis omnibus adhiberi non posse.

90 De vilissimis quidem rebus quondam Scholastici lites moverunt pertinentes. Ita; Ergo cum Luthero, alliisque huius saeculi Eruditis, qui vix litteras primis labris degustarunt manum congeramus, methodumque scholasticam, ut inutilem, nulliusque pretii respuamus? Absit.

91 Optimo selecto auctore sectando, commodius, utiliusque edocentur discipuli, quam si eis à Magistro dictetur.

92 Publicas disputationes non uno in loco carpit doctissimus Vives; at nos plures ex illis utilitates credimus reportandas: Impugnantis partes promam, et sustentantis.

VIII

PHYSICA GENERALIS.

1 **V**Astissimum naturae imperium sub illius scientiae ditione est, quae physis graece, latine naturalis dicitur, quod de universa natura tractet.

2 Naturae nomen rebus diversis applicatum, à nobis hic sumitur pro principio motus, et quietis eius in quo est, primo, et per se, et non secundum accidens.

3 Naturae ratio materiae, formae, composito, etiam Animae rationali aptissime convenit.

4 Ab ea autem, et Deus, et Angeli absunt longissime.

5 Violentia naturae inimica recte audit, cuius principium est extra, passo non conferente vim.

6 Creaturae motus à Deo impressus minime est ei repugnans, dummodo ut agens particulare non operetur.

7 Artificiale definitur, cuius principium est extra in ratione practica, externam materiam disponente.

8 Ars naturae imitatrix eam in plerisque mentitur effectibus, in aliis ab ea deficit; in his locum habere credimus fulvum illud metallum, cuius sacra fames tantum cogit mortalia pectora.

9 Physici nomen non meretur ille, qui unice oblectandis oculis intentus, et depascendae curiositati, totus est in tentandis experimentis, quin eorum rationes reddere conetur. Ergo cum experimentis ratio consulenda? Ita.

10 Tres philosophandi regulas, ut physicae basim tradit Nevytonus: eas cum grano salis admittimus.

11 Physica, quae corpora generatim considerat, generalis est, particularis, quae speciales corporum contemplatur species.

Corporum essentia, et existentia.

12 Fuere viri ad stomachum cordati, nempe Berkeleius, Malebranchius, &c. qui de corporum existentia dubitare non erubuerunt. Cordatus ne esset de eorum cerebro dubitare?

13 Renatus Cartesius physici corporis essentiam in trina extensione constituit. Sententiam improbamus.

Simi-

IX

14 Similiter et eam , quae in impenetrabilitate , sive actuali , aut radicalli collocandam censem.

15 Essentiam corporis physici in ratione substantiae compositae ad recipiendam trinam dimensionem aptae reponendam est nobis visum.

16 Prima principia Aristoteles definivit , quae nec ex se invicem , nec ex aliis , sed ex quibus omnia fiunt. Quomodo tria haec principium , causa , et elementum inter se differant , audies ex nobis.

17 In plurimas opiniones hominum iudicia distraxit ardua illa quaestio , quae de primis rerum principiis agit. In illis determinandis non minor inter recentes , quam apud antiquos lis. Quod hic asserit , reprobat iste ; ille , quod alter inficiatur , propugnat ; quod uni optimum , absurdum alio videtur. Tanta est discordia fratrum.

18 A vero distant longissime , qui unicum adstruunt principium , non minus quam qui vulgaria elementa tanquam principia defendunt.

19 Principia rerum non sunt particulae rerum ipsarum invicem permixtae.

20 Epicurus , eiusque hac in parte asecla Gassendus atomos , seu indivisibilis quasdam particulas posuere prima esse principia. At nec huiusmodi extant gassendianae atomi , nec etiamsi existerent , rerum essent principia.

21 Ac de Cartesii principiis , materia subtili , secundi elementi globulis , particulisque striatis quid sentiendum ? Speciosum vividae imaginationis phantasma ; nihil aliud.

22 Ex primigeniis materiae particulis solidis , impenetrabilibus , ac mobilibus , primo omnia componi Nevytoni est assertio. Epicuri sapit sententiam , ideoque eodem pretio , ac illa habenda.

23 Tametsi tria Chymicorum principia physicae , ac medicinae serviant summopere , ea ut rerum omnium principia statuere haud valemus.

24 Ad Peripateticorum systema venientes , ut genus quoddam metaphysicae stultitiae , ineptum , fanaticum , omni prorsus destitutum momento à Recentioribus habetur. Tanta est humanorum cogitationum vicisitudo ; Id ipsum quod isti blasphemant , S. Aug. non dubitat appellare *divinum* , Deoque maximas agit gratias , quod ad illud intelligendum divina ope fuerit adiutus.

25 Igitur tanti D. auxilio muniti , Recentiorum sibilos ridentes , tria esse generationis principia sustinemus , materiam , formam , et privationem ; entis geniti duo tantum prima.

C

A

26 A forma realiter distinguitur materia : haec primum uniuscuiusque rei subiectum , ex quo existente omnes substantiae naturales fiunt ; illa actus primus materiae.

27 Dari necesse est formas substantiales , ex quibus , et materia corporae substantiae , et constituantur , et distinguantur.

28 Per eductionem de materiae potentia fiunt formae corruptibles compositorum genitorum ; per creationem nullo modo.

29 De Anima vero rationali aliter loquendum censemus , quae ex nihilo à Deo fit , humanoque infunditur corpori.

Corporum attributa.

30 Ad corporum proprietates devenientes , primas obtainere videtur extensio substantiam corpoream ita afficiens , ut sine illa , saltem connotata , corpus existere nullum possit.

31 Sequitur extensionem divisibilitas ; hanc physice infinitam in corporibus , Viri doctissimi propugnant , nonnulli prioribus aequi sapientes viribus totis reiiciunt . Nos vero cum ad dexteram , aut sinistram declinare haud possimus , utriusque sententiae momenta exponemus petendi.

32 Impenetrabilitate corpora resistunt , ne aliis idem locus pateat ; hinc nulla in natura vis valet corporum duorum penetrationem inducere ; soli Deo reservatur.

33 Deo ultra naturae vires operanti possibilis nullomodo est eiusdem corporis circumscripiva bilocatio.

34 Corporum resistantia passiva , seu inertia non ab una impenetrabilitate trahit originem , sed à causis diversis.

35 Habent corpora figuram , quae , Euclide teste , est ea , quae terminis comprehenditur.

36 Ad particularum minimarum determinandam figuram inutiliter adhibentur sensus ; ratio tamen convincit eadem omnes donari.

Spatium , locus , et tempus.

37 Spatium corpora occupant ; illud à Dei immensitate indistinctum Henrico Moro , Clarkio , aliisque placuit ; Nevvtonus eò est progressus , ut spatium Dei sensorium esse dixerit : has omnes detestamus ineptias.

38 Nec cordatior illa est sententia , quae spatium à Deo , corporibusque distinctum aeternum , ac improductum statuit.

Non

XI

39 Non est spatium illimitata quaedam substantia , prima inter eas , quae à Deo sunt creatae.

40 Gassendo nec substantia , nec accidens est spatium , sed incorporeum quid inter illa medium ; ei adhaerere non possumus.

41 Et ne singula Philosophorum placita percurramus , displicet circa naturam spatii omnis ea opinio secundum quam illud non sit mera corporum recipiendorum capacitas , proindeque nihil in se ipso reale.

42 Si tamen pro dimensionibus corporum continentium accipiatur spatium , quidpiam reale esse confitemur.

43 Locus cum Aristotele definitur superficies prima immobilis corporis ambientis.

44 Locus nullo repletus corpore appellatur vacuum ; aliud coacervatum , aliud disseminatum : hoc nec horret natura , nec summopere refugit , sed illud amat , amplexatur , eoque ad plurima indiget.

45 Diffinitur duratio permanentia rei in esse : est triplex , aeternitas , aevum , et tempus ; horum interroga notiones.

Vires corporum.

46 Nec actio , nec motus est corporis cuiuscumque vis , sed activa potentia ab utroque reipsa distincta.

47 In vivas , et mortuas corporum vires Leibnitio auctore dividuntur : ast alias praeter adsignatas in natura novimus.

48 Ex massa in simplicem velocitatem ducta , aestimari voluit Leibnitius vires corporis mortuas . Implicitat.

49 Viva autem , si illi fides , ex massa , et quadrato velocitatis ; si nobis , ex ea , simplicique dumtaxat velocitate.

50 Vires corporum compositae in ratione componentium virium sunt aestimandae.

51 Vim , qua corpora se mutuo petunt , attractionem Nevvtoniani vocant ; hanc corporibus omnibus inesse , eamque ad minimas , maximasque distancias exerceri , pro comperto habent : nos id omne , quod de universali , mutuaque corporum attractione tradit Nevvtonus , fictitium prorsus esse tememus , solo in cerebro existens , et Nevvtonianorum principiis minime cohaerens.

52 Attractionis universalis leges innumerae cum sint , do testem P. Jacquier , quasdam Nevvtoniani adstruunt , et pro minimis , et pro maximis di-

XII

distantiis : I. *attractio ad minimas distantias est quam maxima , ad aliquam distantiam sensibilis non est , et statim à gravitate terrestri superatur* : lex haec in plerisque corporibus deficit , ac Nevvtoni fluidorum definitionem inficiatur.

53 Lex altera : *attractio est inverse in ratione plusquam duplicata distan- tiae , seu in ratione saltem triplicata , aut forsan maiori* : mirifica sane lex , quae si accuratè servetur , ad absurdum , Jacquierio auctore , nos dicit.

54 Caeterae vero leges ad minimas distantias eadem falsitate laborant , sicut et ea , quae ad maximas stabilitur.

55 Ex viribus centrifuga , et centripeta cogmentatur centralis ex Nevvtoni discipulis , iisque ad motus coelestes extricandos utuntur ; verum nihil ad id conferunt.

56 Gravitas est vis , qua corpora in commune centrum feruntur. De eius natura disputantes Philosophi , in varias sunt dispersi sententias , de quibus haec habemus.

57 Gassendi opinatio in uncinatis particulis gravitatem reponentis , com- mentitia est nobis , tantoque viro indigna.

58 Explicaturus Cartesius in quo sita sit terrestrium corporum gravitas , ad suos confudit vortices ; sed nec ibi reperitur.

59 A materia subtili , aut ab alio quocumque fluido in gyrum acto , ne- quit repeti gravitatis origo.

60 Intrinsecum corporibus principium gravitatem vocant Nevvtonianorum plerique : assentimur libenter , modo gravia principem sui motus causam non adstruant , sed ab eo credant talem accepisse vim , à quo et naturam.

61 Gravitas absoluta una , relativa alia : corpus centrum petens , abso- lute leve nullum invenimus : Evangelistam Torricellum , cui omnia abso- lute levia , ridemus.

62 Coelestia corpora nec gravitate , nec levitate donantur.

63 Sequentia gravitatis phaenomena resolvenda promittimus. I. ; Cur in statera minus pondus à fulcro eius longius abductum maius attollit ?

64 II. ; Cur metallum licet aqua gravius , in tenuissimas ductum lamel- las non mergatur ?

65 III. ; Cur lignum aqua levius , ei tamen aliqua sui parte immergatur?

66 En gravitatis leges : corpora gravia in terram linea ad minus sensibi- liter perpendiculari descendunt.

67 Gravitas est materiae corporum proportionalis.

Gra-

XIII

68 Gravitas uniformiter accelerat corpora : hinc in medio non resistente corpora pondere , ac volumine inaequalia pari tempore descendunt.

69 Ergo velocitas , qua ex eadem altitudine corpora terram petunt, eorum ponderibus non aequatur ? pro comperto habemus.

70 Proportionalis est corporum in medio resistente descendentium velocitas et medii resistantiae , et gravitatis vi ; habita etiam voluminis , figuraeque ratione.

71 Perperam ex diversa pendulorum oscillatione in diversis Mundi plagiis, corporum eorumdem gravitatem variari viri recentiores collegere : gravitas namque ubique terrarum eadem est.

72 Corpora decidentia velocius in fine , quam in principio , et medio motus ferri , nemini non notum ; circa huius accelerationis causam displicant illi , qui eam in maiori ad terram approximatione reponunt.

73 Spatium à corpore libere descendente peractum , dimidium illius est, quod idem corpus peragraret , si celeritate in fine adquisita , aequabiliter ab initio moveretur.

74 Gravium corporum descendentium acceleratio , caeteris paribus , contingit secundum progressionem arithmeticam numerorum imparium 1. 3. 5.

7. 9. II. cet.

75 Spatia à corporibus percursa si ab initio motus computes , ut temporis insumpti quadratum abs dubio tibi erunt.

76 Tempus , quod in descensu corpus insumit , tanquam radix quadratae spatii confecti est habendum ; pariter et velocitas.

77 Gradus velocitatis in descensu adquisitae sequuntur directam temporis rationem.

78 Hinc nullo negotio sequentia resolvemus : I. Dato spatio à corpore peragrato , tempus insumptum invenire.

79 II. Habito tempore , spatium , et velocitatem determinare ; et vicissim cognita velocitate , spatium , tempusque designare.

80 Vis , qua corpus dato tempore spatium aliquod percurrit , appellatur velocitas. Haec relationem tempus inter et spatium involvit.

81 Duo corpora aequali tempore inaequalia spatia percurrentia , habent velocitatem in ratione directa spatii confecti.

82 Inversam temporis rationem sequuntur corpora , quae temporibus diversis aequalia percurrunt spatia.

XIV

Motus natura , et leges.

83 Motus ab Aristotele definitur actus entis in potentia , prout in potentia. Definitionem explicabimus , et defendemus.

84 In passo , seu mobili subiectatur motus.

85 Ad eum triplex exigitur conditio , quam percontanti dabimus.

86 Possunt eidem mobili contrarii motus per accidens inesse ; per se autem nequaquam.

87 Ex massa corporis moti in celeritatem ducta aestimanda est quantitas motus.

88 Hinc facile ex dato corporis motu , et massa inveniri potest eius celeritas ; sicut ex dato motu , et celeritate corporis massa valet definiri.

89 Eamdem in universo motus quantitatem continuo perseverare adstruit Cartesius ; ast novos cernimus motus in natura productos.

90 Corpus semel in motu positum , etiam qualibet seclusa externa vi , in infinitum per eamdem rectam lineam pergere nequit.

91 Praecipuum Atheorum fundamentum evertimus , dum materiae motum non esse essentialē constanter tenemus.

92 Nihil valet se ipsum movere , sed quod movetur , ab alio revera movetur.

93 ? Ergo in moventibus , et motis infinitum processum reiicimus ? Ita sane , fremat etsi perditissimus Spinoza.

94 Nevytonus lib. I. princ. tres tradit generales motus leges : I. Omne corpus perseverat in statu suo quiescendi , vel movendi uniformiter in directum , nisi quatenus à viribus impressis cogitur statum illum mutare.

95 II. Mutatio motus est proportionalis vi motrici impressae , et fit secundum lineam rectam , qua vis illa imprimitur.

96 III. Actioni contraria semper est , et aequalis reactio. Has omnes , si universim accipientur falsas reputamus , earumque loco alias subrogabimus.

97 Tria in locali motu ut distinguantur oportet , vis motrix , alternatio loci , ac determinatio motus , tum vis motricis ad hunc , aut illum terminum.

98 Ad vim motricem quod attinet , eam ut quid reale tenemus , ab actuali motu penitus distinctum.

99 Motum omnem naturaliter rectum esse tenet Cartesius ; nos in rectum , et circularem localem motum partimur.

Si

XV

100 Si ab una tantum vi corpus urgeatur , simplex erit motus ; si autem , compositus.

101 In motuum compositione non eadem semper in corporibus celeritas perseverat.

102 Si corpus duabus ex diametro oppositis , et aequalibus urgeatur viribus ; nusquam in ipso producetur motus.

103 Si vires fuerint mediae , motus compositi celeritas erit celeritatibus componentibus aequivalens , nullatenus vero omnino aequalis.

104 Quem à motore separata servant projecta motum , ab impetu illis à proiiciente impresso oriri statuimus.

105 Non nihil tamen adiumenti eis praestat anterius pressus aër , qui retro post terga corporum recurrit.

106 Vis , qua percussum corpus in pristinum tendit statum elasticitas adpellatur ; id tripliciter evenit.

107 Ab aëre , seu spirabili corpore poris inclusso corporum elasticitas trahit originem : plurim etiam corporis figura , pororum dispositione , partiumque rigiditate iuvantibus.

108 Corpus cum impetu vibratum alteri duro allidens , à propria deficit directione , atque in oppositam partem tendit . En corporis reflexio.

109 In ea , et mutatur directio , et novus producitur in corpore motus à directo distinctus.

110 Reflexi huius motus causa est in corporum congregientium elasticitate collocanda.

111 Si ad angulos rectos incidat corpus , eadem , qua descendit linea revertitur.

112 Oblique autem incidente corpore , à mathematica aequalitate deficiunt incidentiae , et reflexionis anguli.

113 Pendulum vocatur corpus grave è filo suspensum , circa cuius alterum extremum tanquam centrum , in circinationis modum potest moveri.

114 Gravia corpora fune suspensa propria gravitate decidunt , à qua filo detenta , pendulorum oriuntur vibrationes . Si autem aërem retro urgenter eorum motum aliquantulum adiuvare dicas , per nos licet.

115 Resolvemus problemata sequentia circa pendulorum motum . I. ; Cur quo pendulum è longiori pendet filo , eò plures edat vibrationes ?

116 II. ; Cur extracto in Boileana machina aëre crassiori diutius pendula oscillent ?

III.

XVI

117 III. ; Cur eiusdem penduli vibrationes , etsi aliae aliis minores , isochronae tamen videantur ?

118 IV. ; Cur pleraque alia corpora , ut corda arcus , acus pixidis à loco quietis violente abducta , ut pendula pariter oscillent ?

Mechanica.

119 Altera Matheseos pars humano generi utilissima , Mechanica recte dicitur , cuius obiectum , vires corporum diversi ponderis ope machinarum aequare.

120 In eo igitur ars haec Mechanica sita est , ut ponderis movendi , aut sustinendi ratione habita , sufficiens vis adhibetur , congruise machinis id supleatur , quod deest naturali virtuti.

121 Triplex à Mechanicis distinguitur centrum , motus , magnitudinis , et gravitatis : quid haec sint , ac de iis quid dicendum occurrat , in agone exponemus.

122 Machinarum aliae simplices , quae octo enumerantur : Vectis , Libra , Axis in Peritrochio , Trochlea , Cuneus , Cochlea , Rota dentata , et planum inclinatum ; compositae ex pluribus , vel paucioribus simplicibus coniunctis resultant.

123 En principia quibus Mechanica tota nititur : I. Aequiponderant aequalia pondera in aequalibus à fulcro distantiis constituta : II. Inaequilibrium ponderum à fulcro aequaliter distantium , minori maius praeponderat . III. Est pondus ad pondus , si inaequalia adstruantur , ut distantia ad distantiam permutata ratione.

124 Inaequalis ponderis corpora , si in distantiis sint à punto suspensionis reciproce proportionalibus , manent in aequilibrio suspensa.

125 Ex centro motus , et gravitatis sunt aestimandae machinarum vires.

126 Quies motus inimica , et finis , nihil positivum dicit , sed meram motus privationem.

PHYSICA PARTICULARIS.

1 Quae ad corpora generatim attinent perlustratis , ad singulares corporum species descendemus , quae Mundo hoc admirabiliter continentur . Hic ergo obiectum est iucundissimae illius Philosophiae partis , quae physica particularis nominatur.

2 Mundus nobis ex Aristotele est , Compages ex coelo , terraque coagimentata , atque ex iis naturis , quae his continetur.

Mun-

XVII

3 Mundi huius existentiam in dubium revocant Egoistae ; hos fustibus potius , quam rationibus convincendos puto.

4 Methodum geometricam affectans , eò tandem devenit Spinoza , ut Mundum Deum esse affirmaverit ; huic Tollandus , caeterique Pantheistae adhaeserunt. Proh Deus ! quot absurdissimos errores valet concipere mens , quae fidei iugum excutit !

5 Nec praecedentibus tolerabiliores sunt hi , qui ex temerario , fortuito- que atomorum concursu Mundum ortum habere somniarunt.

6 Utcumque Aristoteles , Proclus , aliique in adstruenda Mundi aeterni- tate laboraverint , nobis persuadere haud potuerunt.

7 Unus tantum est Mundus : plures Deus producere potuit , et etiam- num potest.

8 Mundum in suo genere perfectum praedicamus.

9 Nemo usque adhuc potuit magnitudinem Mundi certo definire : eius figura probabiliter est sphaerica.

Mundi systemata , et Sphaera.

10 Ad coelestia phoenomena enodanda , de quibus modo , plurimum con- fert armillaris sphaera ; haec ab Astronomis diffinitur: corpus solidum una su- perficie contentum , cuius partes superficie omnes à centro aequaliter di- stant.

11 Constant haec decem circulis , aequatore , meridiano , zodiaco , ho- rizonte , binis colluris , tropicis cancri , et capricornii , et duobus polaribus: sex priores maiores , reliqui minores appellantur , quorum notionem , et usum , cum reliquis ad sphaeram spectantibus , nostrum erit exhibere.

12 Systema Mundi nihil est aliud , quam varia ipsius partium dispositio motibus , coelique phaenomenis accommodata : Mirum quantum omni aevo insudarint Astronomi in systematibus inveniendis. Tria sunt praecipua , Pto- lomaicum , Copernicanum , et Tychonicum.

13 In systemate quocumque coelestium corporum motus , et phaenomena debent exacte explicari , quin inde Astronomia , et Physica incommodi quid- quam patiantur.

14 Quid sit planetae orbita , haec quando concentrica , aut excentrica , quid perihelium , aphelium , linea apsidum , apogaeum , perigaeum , anomalia , directio , statio , retrogradatio , coniunctio , coitus , synodus , opposi- tio , motus communis , periodicus , et parallaxis , patienter ferenti expone-

E

mus;

XVIII

mus ; haec utilissima sunt , et ad perfectam systematum cognitionem necessaria.

15 Hypothesis Mundi Ptolomaica , à Claudio Ptolomeo eius inventore sic appellata , plurima habet Astronomiae , ac Physicae repugnantia.

16 Collapsam vetustate opinionem de telluris circa quiescentem Solem motu , in lucem revocavit Nicolaus Cusanus S. R. E. Cardinalis , quam multiplici postea invento illustriorem reddidit , et mirifice auxit Copernicus , à quo iure , meritoque sibi nomen comparavit . Systema hocce ex Copernici mente explicabimus.

17 Nullum non moverunt lapidem Copernicani , ut telluris motum ostenderent , sed immerito : id enim nulla firma demonstrant argumenta ; hinc systema istud , ut thesis nequaquam valet propugnari.

18 Quit ut hypothesis Copernicum sistema defendi ; clarius ; supposito telluris motui nulli coelestes effectus repugnant.

19 Ergo nihil habent Physica , aut Astronomia huic hypothesi vel minimum oppositum.

20 Ex Coperniceo systemate suam concinnavit theoriam planetarium Tycho Brahe , cui utrumque praecedens displicuit ; verum aliqua contra eam obiiciunt Astronomia , et Physica.

Coelum.

21 Coelum vocamus ingens illud supra Lunam , Stellasque protensum spatium , ac terram ambiens . Bipartitum considerant Astronomi , stelliferum , ac planetarium.

22 Coelorum substantiam generationibus , ac corruptionibus obnoxiam clamant coelestia phaenomena.

23 Coelum , si Ptolomaicos audias , solidissima constat substantia , nobis tamen fluida illius materies adparet.

Fixae , et errantes Stellae.

24 Coelestium corporum alia fixa , errantia quaedam : illa constanter inter se eamdem servant distantiam ; haec non aequem semper à fixis distant.

25 Circulum albantem ad serpentarium ex austro in boream protensum , qui Galaxia solet nominari , ex stellarum congerie , et unione ortum habere opinamur.

26 Stellae fixae ex recentiorum Astronomorum sententia sunt totidem Solis proprio micantes lumine : his calculum adiicimus.

Scin-

XIX

- 27 Scintillare videntur stellae, quarum aliae novae dicuntur; quid hac in re sentiant Physici, percontare.
- 28 Coeli gratia, lucis scaturigo, syderum princeps, temporumque moderator dicitur Sol, qui verissimam dignis naturam possidet.
- 29 Nigricantes in eius facie maculas irregularis figurae, et durationis observavit Galilaeus; hae non sunt, si Astronomis fides, circumsolares planetae solare lumen intercipientes.
- 30 Observationibus astronomicis non cohaerent, qui maculas Solis montes eius, aut solida corpora fluido igneo quandoque innatantia, nonnumquam in fundum decidentia putant.
- 31 Si maculas solares ab exhalationibus Solis oriri putes, una nobiscum senties.
- 32 Hinc Solem atmosphaera circumdari necessum est.
- 33 De partibus reliquo solari disco lucidioribus, quas faculas appellant, deque zodiacali lumine à Cassino primum, dein ab aliis inspecto, in Palaestra data occasione disseremus.
- 34 Luna telluris nostrae amicissimum sydus, quam noctu loco Solis illuminat, corpus opacum est, totam lucem à Sole recipiens.
- 35 Non una perpolita superficie constat lunare corpus, sed partibus depresso, et prominentibus interrumpitur.
- 36 Lunarium macularum duo apud Physicos genera, constantes aliae, et maiores, nonnullae minores, et variabiles: hae à montium umbra dependent; illae à quibusdam rarioribus Lunae tractibus, qui ad lucis reflexionem sunt minus apti.
- 37 Nulla Lunam ambit sensibilis atmosphaera terrestri persimilis.
- 38 Manifestissima sunt, omniumque mortalium oculis conspicua Lunae, Solisque phaenomena, quae ecclipses nominantur. Nihil ergo aliud haec vox sonat, quam luminis in coelestibus corporibus defectus.
- 39 Quoties Luna telluris umbram ingreditur Solis destituta radiis, eclipsim, seu deliquium patitur.
- 40 Sol vero nobis obscurari videtur, cum lunaris corporis interiectu radii eius ad nos non valent permeare.
- 41 Deliquum solare Luna in novilunio existente contingit; lunare autem in plenilunio degente. Ergo quod morte Christi Domini apparuit naturale non fuit.
- 42 Varias subit Luna à Sole illuminationes, quae phasium nomine cognoscuntur; de his in circo quaere.

De

XX

43 De reliquis à Sole , et Luna planetis , ut quidquam dicamus , constat , id unum habere commune , quod sint corpora opaca Solis lumen mutuantia.

44 De Saturno tenui annulo circumdato , de interrupta Veneris facie , aliisque caeterorum Planetarum dotibus placidam in arena texemus orationem.

45 Planetas omnes hominibus habitari optime sapit quorumdam recentiorum palato ; at non ita cerebro vacuum caput comparavimus , ut hisce nugis adhaerere possimus.

46 Cometarum nomine ea corpora in sublimi posita intelligimus , quae caudam , crines , seu barbam habere videntur , quaeque aliquantulum nobis conspicua , iterum occultantur.

47 In natura Cometarum investiganda plurimum defatigatos video Philosophos ; ea imprimis non arridet opinio , quae Cometarum natale tribuit accensis in suprema aëris regione exhalationibus.

48 Nec ex coelestibus halibus conflantur Cometae.

49 Illorum ergo vestigia tenemus , qui docent eos esse Planetas Mundo coaeuos certa quadam periodo in gyrum circa Solem actos.

50 Cometarum barbae , crines , et caudae ab exhalationibus ex eorum nucleo ascendentibus oriuntur.

51 Nihil clarissimus astrorum motu ; nihil vero Philosophis causà talis motus obscurius. Diversimode de ea iudicarunt Keplerus , Cartesius , ac Nevytonus ; singulos vocemus in censem.

52 Coelestium motuum causam explicaturus Keplerus , species immaterias somniavit à Sole egredi , quae vectis more comprehensa sydera circumferrent ; nulla hic veritas invenitur.

53 Cartesius ad amicissimum suum confudit vorticem , quo astra omnia raperentur : sed nec veritati consonat hic dicendi modus , nec ipsis Renati principiis.

54 Universalem attractionem Nevytonus adhibet ad causam planetorum motuum enodandam : verum alibi quaerenda.

Chronologia.

55 Temporum rationem Chronologia complectitur , quae alter oculorum historiae merito nuncupatur ; hanc ad omnem humanitatis disciplinam perquam utilem nemo non videt ; ut igitur eam summis saltem labris degu-

XXI

gustasse ostendamus, notiones dabimus diei, hebdomadæ, mensis, anni, ci-
clorum, periodorum, et epocharum, quas ex Hermanno Christianopulo apud
Goudinum hausimus, simulque tradita ibidem problemata resolvemus.

Elementaris Sphaera.

56 A pulcherrima Coelorum inspectione ad Elementarem sphaeram
conspiciendam descendimus: spatium à Luna sua orbita comprehensum ter-
restris sphaera in se continet.

57 Inter alia elementa nobilissimus est ignis, cuius nomine eam substan-
tiam intelligimus, quae actione sua quorundam corporum partes dissolvit,
atque in fumum, et vapores abire cogit.

58 Absque particularum accensi corporis motu nullus habetur ignis; in
eo tamen ignem elementarem consistere negamus.

59 Libenter subscribimus opinioni, quae tenet ignem specialem esse ma-
teriam, subtilissimam, ac eximie solidam, per omne corpus, et spatium
diffusam.

60 Ex stabilita ignis natura aperiemus phaenomena quaecumque in eius
excitatione, propagatione, ac extinctione observantur.

61 Èadem omnino materia lux, et ignis donantur.

62 E gravium corporum numero haud excludendum ignem censemus.

63 Electricitas in corporibus reperitur; eius vocabulo ea vis designatur,
qua corpora attritu calefacta leviora corpuscula attrahunt, ac repellunt, scin-
tillam, lenemque auram versus vicinam manum emitunt.

64 Corpora alia natura sua electrica, alia per communicationem id obti-
nent; varia sunt quae in electricis corporibus observantur phaenomena;
reserabimus.

65 In exponenda electrici ignis natura concors non est Physicorum
opinio; quo pacto eam explicit Nolletus, et Franklinus, quin ulli eorum
adhaeremus, petenti dabitur.

66 Aër est fluidissima quaedam materia tellurem circumquaque ambiens,
eaque spatia replens, quae ab aliis corporibus relinquuntur.

67 Aërem nihil nisi vaporum, ac exhalationum congeriem esse tenuit
Gravesande; certius adparet contrarium.

68 Non minus quam reliqua corpora aër gravitate donatur, idque est
hodie apud recentiores Physicos inconcussum.

69 Nemini ignotum fluidissimam hanc materiam comprimi plurimum pos-
se, ac dilatari.

F

Di-

XXII

70 Diverso modo liquorum in tubis capillaribus ascensus à Physicis explicatur. Falsa est imprimis sententia , quae eum ab externo premente aëre oriri ait.

71 Nec fluidi viscositas , nec ad vitri parietes adhaesio causa est elevationis liquorum in tubis praedictis.

72 Ad vim tuborum attractricem confugunt Newtoniani ; caeterum ea vera causa non est liquores in huiuscemodi canaliculis attollens.

73 Aqua purissima nobis est speciale quoddam fluidum , humidum , limpidum , excolor , insipidum , inodorum.

74 Particulas eius novimus subtilissimas , immutabiles , ac durissimas.

75 Hinc apud Physicos quaestio , an aquae partes capaces sint compressionis , necne , de quo nobis impera loqui.

Tellus , et Mare.

76 Terra , quam veluti sedem , ac domicilium incolimus , est corpus aridum , fixum , solutionis , et liquationis expers.

77 Eius figura sensibus sphaerica deprehenditur.

78 Terram perfectissima sphaerica carere figura , sed spheroidale esse corpus , ad polos instar caepae compressum , ac sub aequatore elevatum , collegere peritissimi Astronomi , qui iussu Ludovici XV. ad borealem polum , et aequatorem fuere progressi.

79 Ante diluvium plerisque montibus Tellus erat ornata ; chimaeris ergo somniantiumque illusionibus adnumera Burneti , Wistoni , aliorumque opiniones.

80 Sunt montes , in quorum visceribus conchilia , pisces , aliaeque marinae exuviae reperiuntur , similiter insecta , volatilia , diversique generis fructus , cuius rei iniucundum nobis non erit specimen exhibere.

81 Nihil humano generi funestius , nihil formidabilius terraemotu , cuius causa ignis electricus in terrae visceribus concitatus , qui eam tremere , concuti , nutare facit.

82 Congregatae sunt aquae in locum unum , congregationemque aquarum Deus appellavit mare ; eius affectiones salsedo , amarulentia , et aestus.

83 Salinae , ac bituminosae particulae aquae maris permixtae , eius saledinem , amaritemque causant. Utinam perfectissime ab eis depuraretur!

84 Fluxum aquarum versus littora , hincque recessum , marinum dicitur

XXIII

mus aestum , huius phaenomena diurna , menstrua , annua ; singula referemus.

85 Aequo infelicitate Cartesius vorticibus , Nevvtonus attractioni marini aestus phaenomena tribuerunt. Id unum docent observationes , à Lunae motibus pendere ; quomodo autem id contingat , absque rubore à nobis ignorari fatemur.

Meteora.

86 Phaenomena in atmosphaera apparentia meteori nomine donantur. Quadruplicis generis sunt ea , aqua , ignea emphatica , et spirantia.

87 Meteoris materiam praebent vapores , et exhalationes è terrestri globo in atmosphaeram ascendentess.

88 Sub aquorum nomine comprehenduntur Nebula , Nubes , Aura serotina , Ros matutinus , Pruina , Pluvia , Nix , et Grando : cuiuscumque genesim explicabo.

89 Ignea sunt meteora Fulgur , Tonitru , Fulmen , Aurora borealis , Lampas , Stellae decurrentes , Caprae saltantes , Draco , Clypeus , Columna , Pyramis , Stipula , Castor , et Pollux , ignis fatuus , et lambens.

90 Tonitru , Fulgur , et Fulmen à copiosissimo pendent electrico igne , ab una nube ad aliam , aut à nube ad terram , seu ab ista in nubem decurrente.

91 Aurora borealis notior his temporibus , quam antiquis fuerit : causam habet in inaequali vi electrica vaporum ex terra in atmosphaeram ascendientium.

92 De reliquis ignis meteoris sermonem in agone instituemus.

93 Quae in aëre ex diversa lucis refractione , et reflexione existere apparent meteora , emphatica nominantur. Sunt autem Iris , Halo , Parhelium , Parascelene , et Virgae.

94 Si radii Solis in roridae nubis guttulas incidentes duplice afficiantur refractione , unaque reflexione , Iris primaria efformabitur : si autem binam reflexionem , ac refractionem patiantur , secundaria adparebit.

95 Caetera , quae praedictis superfluunt , emphatica meteora in medium proferre haud gravabor.

96 E meteoris aëreis , seu spirantibus est ventus , qui à sublato aëris aequilibrio originem dicit.

Cor-

XXIV

Corpora viventia.

97 Viventia corpora dicimus quaecumque in se habent motus , aliarumque operationum vitalium principium , quod anima nuncupatur.

98 Vulgata est , eaque optima divisio animae in vegetativam , sensitivam , et rationalem.

99 In quolibet vivente plura vitae genera reperiri queunt , at non nisi unica tantum anima.

100 Plantis vegetativam damus animam , sensitivam negamus.

101 Plantarum nulla est , quae ex materia putrescente oriatur , sed omnes proprium habent semen , ex quo nascantur.

102 Nutritius Plantarum succus non in sola aqua consistit , sed in solutis salinis , oleosis , terreisque particulis.

Anima sentiens.

103 Animae sensitivae nomine intelligimus fontem illum intraneum , cuius virtute vitales operationes eliciunt animalia.

104 Quantumcumque ea imperfecta supponas , nullum in natura repieres ex putrescente materia genitum.

105 Belluas anima donari , easque vivere , moveri , sentire atque percipere , luce clarius ; at cuius naturae est haec anima ? hoc opus , hic labor est. Gassendus tenuissimum quoddam corpus igni simile iudicat. Apage nugas.

106 Cartesio Bruta purae machinae sunt , quae horologiorum instar solidis mechanicis legibus evolvuntur , totius sensus , et cognitionis nesciae : videtur homo iste universa perturbare.

107 Totus est Bougeant ut suadeat Brutorum corpora à Doemonibus inhabitari , moveri , dirigi , quos ibi , ut in carcerem , in criminum poenam Deus vindex coniecerit. Credat Iudeus Apella , non ego.

108 Plures ex nostri illustrati saeculi criticis Belluis Animam , nostris quidem inferiorem , sed naturae verè immaterialis magno argumentorum apparatu tribuunt. Per nos licet.

Sensationes , et Sensus.

109 Sensatio dicitur quaecumque perceptio , quae oritur in anima ex impressione obiecti materialis , et mutatione in corpore facta.

110 Duplex sensus , externus , et internus. Per experientiam habemus sen-

sa-

XXV

sationem omnem pendere à motu nervorum , qui à cerebro orti , in sensuum organa terminantur.

111 Externi sensus quinario numero complectuntur ; sunt illi visus , auditus , odoratus , gustus , et tactus.

112 Ex tot , tamque bene ordinatis partibus , quibus mirabilis oculi machina instruitur , sola retina primarium est visus organum ; humorem crystallinum , et choroidem ab hoc munere excludimus.

113 Lux est id , quo corpora visibilia fiunt. Eius natura adeo mentis oculis abstrusa , ut Philosophi de ea tractantes in medio luminis coecutire videantur.

114 Lumen non consistit , aut in praessione alicuius materiae lucido corpori circumfusae , aut in undis in fluido quodam elasticо excitatis.

115 Si igitur de re tam ardua nobis opinari fas est , lucem in particulis collocamus substantialibus à luminoso corpore iugiter effluentibus , quae ab eo , ut à motu centro celerrime diffunduntur.

116 Instantaneam lucis propagationem nonnulli credidere ; nos successivam esse tenemus , utcumque sit illa velocissima.

117 Reflexio lucis est retrocessio radii illius in anteriores partes corporis opaci in quod incidit.

118 Ubi lux in politas superficies incidat , ita semper reflectitur , ut angulus reflexionis sit incidentiae angulo aequalis.

119 Non à viribus repellentibus fit luminis reflexio , sed ex impactu in solidas corporum particulas.

120 Eius refractio est mutatio directionis in radio medium diversae densitatis ingrediente.

121 Radiorum refrangibilitas est dispositio ad refractionem subeundam. Ex radiis hac diversa dispositione constantibus solare lumen coalescit.

122 Omne lumen homogeneum proprium habet colorem suae refrangibilitati respondentem , qui nullis refractionibus , seu reflexionibus immutatur.

123 Colorati omnes luminis radii invicem permixti albedinem causant ; diversimode aliqui uniti secundarios formant colores , modo septem primariis similes , modo dissimiles.

124 His potius , quam aliis coloribus opaca corpora afficiuntur , quod aptiora sint ad hos magis , quam alios reflectendos : sunt alba , quae omnes satis vivide reflectunt , nigra , quae exiguo regerunt radios.

125 Princeps auditus organum non in aëre intra cavitatem tympani exi-

G sten-

XXVI

stente , sed in expansis nervii auditorii fibris est constituendum.

126 Obiectum auditus sonus. A tremulo minimarum partium corporis motu pendet , ut hoc sit sonorum.

127 Mediis aëris oscillationibus , et undulationibus ad aures sonus defertur.

128 Nec per aërem dumtaxat , sed per alia etiam fluida , imo et solida corpora sonum diffundi plura ostendunt experimenta.

129 Succesivam esse soni propagationem nequit sana mente inficiari.

130 A sonoris aëris undis à duro , et elastico corpore reflexis voces illae proveniunt , quas echo nominamus.

131 Nares interius obducuntur membrana schneideri dicta ; nerveis abundant papillis , quae primarium olfactus organum sibi vindicant.

132 Olfactus obiectum est odor , qui nihil aliud est , quam salinosulphureae particulae ab odoro corpore avolantes , quae per aërem diffusae ad nares usque perveniunt.

133 A quinto cervicalium nervorum pari nerveae emanant papillae , quae per totam linguam inaequaliter diffunduntur ; in his gustus organum residet.

134 Sapores obiectum gustus , à salinis sapidi corporis particulis potissimum pendent.

135 Per rete malpighianum in cuticulam nerveae papillae protenduntur à cute erumpentes , in quibus tactus organum constituitur.

Calor , et frigus.

136 Igneae quaedam particulae perturbato , expansivo , celerique motu affectae in sensorio efficiunt calorem.

137 Ei opponitur frigus , cuius causa nitrosae particulae partium corporis motum cohibentes.

ETHICA.

1 **Q**uemadmodum agrorum cultura , eos ex se aliunde steriles exercendo , artificioseque tractando , utilium , suaviumque fructuum feraces efficit ; ita Ethica Animi cultura ab Antiquis appellata Animus sine cultu bruntescentem , vitiisque horrentem , suis informando praeceptis mitiorem reddit , et ornatiorem , ac virtutibus , quibus nihil formosius , cumulatum . Est ergo praestantissima scientia haec , quae in dirigendis moribus tota versatur.

2 Obiectum materiale Moralis actus humani ; formale , moralitas , cuius illi sunt capaces : ratio vero sub qua , prima principia practica.

Ul-

XXVII

Ultimus Morum finis.

3 Actio, quae ex deliberata oritur voluntate, humana audit; sin minus, hominis tantum dicitur.

4 Ultimi totius humanae vitae finis existentiam, ita necessariam existimamus, ut eo remoto, nullum voluntas possit elicere motum.

5 Cum M. P. Aug. sustinemus ultimum finem ita definiri debere, ille, quem propter se tantum volumus, caetera vero propter ipsum.

6 Finis ultimus si unus non est, non est: ergo plures semel, et simul intendi non valent, modo totales sint, et adaequati.

7 Philosophi, quibus Fidei lumen affulxit nullum, de felicitate tractantes erravere quam maxime; aliis pro divitiis, idolorum servitute decertantibus, pro honoribus, gloria, et fama quibusdam, nonnullis demum pro potestate pugnantibus.

8 Abiectissimis, pecudibusque concessis deliciis, tanquam summo bono turpissime adhaerent non pauci, qui tantum abest ut sint beati, quin imo etiamsi semper sic essent, plangendi essent.

9 Nulli aequius sentire visi sunt, quam Stoici in sola virtute felicitatem reponentes. Sed nec his calculus est adiiciendus.

10 Maneat ergo altius erigendam mentem nostram, beatitatemque in solo Deo O. M. omnium bonorum meta, centroque bonitatis locandam.

11 Quae hac in vita nos undique circumdant miseriae invictissime clamant perfectam hominis felicitatem non huic, sed alteri beatiori esse reservatam.

12 Quantum ad felicitatem formalem, ea nobis displicet opinio, quae aut in pluribus actibus, aut in solo voluntatis eam constituit.

13 Ergo perfectissimae dumtaxat intellectus operationi primaria, essentialisque est tribuenda summi Boni consequutio? Ita cum Ang. P. tenemus.

Actus voluntarii, eorumque regula.

14 Hanc amplectimur voluntarii diffinitionem, cuius principium est ab intrinseco cum cognitione finis. Varias eius partitiones referemus.

15 Sufficiens, seu compellens violentia e diametro voluntario opponitur, illudque destruit.

16 Antecedens ignorantia voluntarium perimit; perficit consequens; medio modo se habet concomitans.

17 Actio, quae cogente metu fit, simpliciter voluntaria est censenda, ex parte vero involuntaria.

Con-

XXVIII

- 18 Concupiscentia non tollit , sed potius facit voluntarium.
- 19 Duo in actu morali reperiuntur , entitas , et moralitas : illa , actio vitalis , et libera est ; ista , ordo à ratione in actibus liberis inductus.
- 20 Nullum , quantumcumque coneris , in homine deliberatè agente repieres actum bonitatis , malitiaeve expertem.
- 21 Prima totius honestatis , ac bonitatis moralis origo , est lex aeterna; id est , ut cum S. Th. loquar , *ratio divinae sapientiae omnia in debitum finem dirigentis.*
- 22 Alia est etiam propinquior moralitatis regula , cui homo , ne à bono deviet , suas actiones conformare tenetur ; videlicet ratio voluntati dictans quid bonum , quidve malum.
- 23 Conscientiam definit S. Th. *iudicium intellectus practici* , quo quis applicat suam scientiam practicam ad actum particularem. Variis gaudet muneribus , atque in septem partitur status. In Palaestra.
- 24 Lex , si Thomam sequimur , est ordinatio rationis ad bonum commune , ab eo , qui praeest communitati , promulgata. Eius divisiones , et conditiones ex Isidoro dabimus.
- 25 Quaedam aeternae legis impresio est naturalis lex , cuius pracepta ita firma , ut nullam subire possint propriè dictam dispensationem.

Passiones.

- 26 Quod à Graecis *patema* , passio à Latinis vocatur ; est ergo passio motus appetitivae virtutis sensibilis ex imaginatione boni , vel mali.
- 27 Passiones omnes ceu malas damnabant Stoici : ex adverso ut bonas , si per rationem regulentur , laudabant Peripatetici. In voce dumtaxat illos ab istis dissentire censemus.
- 28 Passionum duplex genus , aliae partis irascibilis , aliae concupiscibilis : sex istae numerantur : Amor scilicet et Odium , Desiderium , et Fuga , Gaudium , et Dolor : illae vero quinque : Spes , et Desperatio , Audacia , et Metus , et Ira , quae caret contrario.
- 29 De harum passionum notione , causa , et effectibus , haud ingratam texemus orationem , libenter dantes , quae hac de re eruditè tradit Cl. Goudin.

Virtutes , et vicia.

- 30 Virtus , legitimum vitae nostrae ornamentum , et decus , est , auctore Aug. , bona qualitas mentis , quae rectè vivitur , et nemo male iutitur.

In

XXIX

31 In hunc modum est constituta moralis virtus , ut nec ad summum accedat , nec in imum vergat ; mediocritatem amat.

32 Ea est virtutis moralis conditio , ut èa propriè , et per se nemo valeat abuti.

33 Insunt nobis à natura virtutum semina ; at habitus non nisi actuum repetitione producuntur.

34 Quatuor primariae , et veluti aliarum cardines recensentur virtutes : hae sunt Prudentia , Iustitia , Temperantia , et Fortitudo . Earum natu- ram , et partes non contentiosa , sed placida oratione sequentibus tractan- das aggredimur.

35 Prudentia voluntatis oculus , caeterarum virtutum dux , fons , ca- put , et princeps ab Aristotele definitur recta ratio agibilium.

36 Octo adsignantur integrales Prudentiae partes , Ratio , Intellectus , Circumspectio , Providentia , Docilitas , Cautio , Memoria , et Solertia , seu Eustochia.

37 Illae vero virtutes , quas subiectivas recte dixeris , de quibus Pru- dentia directe , et essentialiter praedicatur , sunt Prudentia Monastica , Gu- bernatrix , Oeconomica , Politica , Monarchica , Aristocratica , Democrati- ca , et Militaris.

38 Quae autem Prudentiae in quibusdam inferioribus actibus inserviunt ternario numero comprehenduntur : sunt hae Eubulia , Synesis , Gnome , de quibus , uti de integralibus , ac subiectivis , quidquid scitu dignum fuerit , loquemur.

39 Prima post Prudentiam venit Iustitia . Haec rerum publicarum custos , moderatrix , et genitrix , dicitur à Sancto Th. habitus , secundum quem ali- quis constanti , et perpetua voluntate ius suum unicuique tribuit.

40 Duplicem habet Iustitia partem integram , declinare à malo , et facere bonum ; triplicem subiectivam , Commutativam nempe , Distributivam , et Legalem , cuius quaedam pars est Epikieia.

41 Iudex in litibus finiendis , ferendàque sententia , probationum potius , quam proprii iudicii rationem inire debet.

42 His virtutibus , ut partibus potentialibus stipatur Iustitia ; Religione , Pietate , Observantia , Veritate , Gratitudine , Iustitia vindicativa , Liberali- tate , et Amicitia.

43 Temperantia importunissimarum passionum dominatrix , ex Cicerone est , Rationis in libidinem , atque alias non rectos impetus animi firma , et mo- derata dominatio.

H

Tem-

XXX

44 Temperantiae partes integrales Verecundia , et Honestas , subiectivae Abstinentia , Sobrietas , Castitas , et Pudicitia : potentiales Continentia , Mansuetudo , Modestia , haec in Humilitatem , Studiositatem , Modestiam morum , et cultus , et Eutropeliam partitur.

45 Virtutum omnium armigera Fortitudo à Tilio definitur considerata periculorum susceptio , et laborum perpessio.

46 Huic virtuti duo actus assignantur aggredi scilicet , et sustinere ; quatuor quasi integrales partes Magnanimitas , Magnificentia , Patientia , et Perseverantia.

47 Viri magnanimi characteres ex Aristotele describemus , eosque cum virtute humilitatis , cui è diametro videntur opponi , magnopere convenire ostendemus.

48 E magnanimorum elenco eos exclude , quos barbarus mos pervasit manus sibimet , et necem consciscendi.

49 Quisquis ex moralibus virtutibus quamlibet perfectè posideat , reliquis ornetur necesse est ; secus si imperfectae , teneraeque existant.

50 Vitium , quod ita saepe virtutem mentitur , ut orichalcum aurum , optime diffiniri valet , mala qualitas mentis , qua male vivitur , quaque nemo bene utitur.

51 Peccatum recte ab Aug. dicitur , dictum , factum , vel concupitum contra legem aeternam. Eius , sicut et vitii , cuius est proles divisiones interroga.

Hominum Officia.

52 Quid , quoque pacto homo praestare teneatur officii nomen designat. Tria sunt animi humani officia erga Deum , se ipsum , et alios.

53 Sunt impii , ac perditissimi homines in humani generis dedecus natii , qui cultum Dei externum reiiciunt , respuunt , ac blasphemant ; ast nos pestes huiusmodi detestantes Supremum naturae Opificem interno , externo- que cultu venerandum profitemur.

54 Ad cultum internum pertinent amor , timor , obedientia , fiducia , spes ; cultus autem externus invocatione , gratiarum actione , religiosisque ritibus continetur.

55 Tria sunt hominis erga se ipsum officia ; alia ad mentem attinent , quae- dam ad corpus , nonnulla denique ad externum statum : ad quid in singu- lis homo teneatur , dicam rogatus.

XXXI

56 Iisdem nos officiis erga alios tenemur, quibus erga nos met ipsos obligamur: hinc triplici in alios officiorum genere urgemur: iussi loquemur.

METAPHYSICA.

1 DE rebus supra sensibilem naturam positis agit Metaphysica, cuius existentiam nemo, ni habeat mentem chimaeris pastam: ire valet inficias.

2 Eius materiale obiectum quodcumque ens reale; formale, communis ratio entis ab omni materia abstracti; hoc natura sua, mentisve abstractio ne potest esse tale; hinc illa in partes duas dispartitur Ontologiam, ac Pneumatologiam, cuius species Psychologia, et Theologia naturalis.

Ens in communi.

3 Ens, quo nihil notius, est id cuius actus est esse: variis partitionibus distribuitur, quas nostrum erit declarare.

4 Principium definit S. Th. à quo aliquid procedit: triplex est, generationis, cognitionis, et compositionis: de primo iam in Physica actum, de aliis in praesentiarum.

5 Igitur tot inter certissima axiomata, evidentesque veritates, quaenam illa erit, quae caeterarum radix, et basis primum sit cognitionis complexum principium? aliis quod placuerit sentientibus, haud alia nobis videtur quam illa *impossibile est* cet.

6 Entis mutabilis constitutiva principia sunt actus, et potentia, quorum notionem, ac partitionem sciscitare.

7 Est etiam principium, quod rationis sufficientis vocant: illud non est cur admittere renuamus.

8 Ex illorum numero nos habe, qui intrinsecam rerum possibilitatem repetunt ex non repugnantia terminorum; à Divina omnipotentia extrinsecam, seu secundariam.

9 Inest creaturis potentia obedientialis passiva ad actum naturae vires excedentem à Deo habendum.

10 Essentia rei dicitur id, quo res in se constituitur, estque aliorum, quae enti actu insunt, origo.

11 Ut ut Omnipotens Deus supponatur, rerum essentias, nec minimum quit mutare. Quantum haec à Cartesio distant!

12 Ens quodlibet creatum realiter ex essentia, et existentia, ut ex duobus essendi principiis compositum recte dices.

Sub-

XXXII

13 Subsistens aliquid positivum est , eaque in rebus creatis reipsa ab essentia distinguitur.

14 De entis proprietatibus tractantes , unum dicimus ens indivisum in se , et à quolibet alio divisum : triplex entis unitas , generica , specifica , et purè individualis.

15 Ex materia quantitatem connotante originem dicit unitas , ac pure numerica substantiarum multiplicatio.

16 Ex subiecto formaliter sumpto unitatem , et multiplicationem numericam accidentium cognoscimus.

17 Displacet distinctio realis inter gradus metaphysicos , simul ac ea , quam formalem ex natura rei vocant : virtualem dumtaxat admittimus.

18 Veritas , et bonitas alterae sunt entis proprietates : de his , earumque contrariis falsitate , ac malo congeremus nonnulla.

19 Infinitum dicitur , quod finem ignorat : duplex , categorematicum , et syncategorematicum.

20 Nullum , quaquaversus te vergas , Deo excepto , actu infinitum repieres.

Causae.

21 Praecipua scientiarum cura occupatur in investigandis rerum causis , cuius nomen triplicem admittit significationem : dicemus.

22 Causa recte audit ; ad quam sequitur esse alterius : hanc diffinitionem , ut illustrior fiat , cum notione effectus comparabimus.

23 Quadruplex entis mobilis causa , materialis , formalis , efficiens , et finalis.

24 Effectum quemlibet sua , saltem natura , praecedit causa.

25 Causa materialis , et formalis intrinseca , sunt minus nobiles quam effectus.

26 Finalis vero principalis in agentibus ordinatè operantibus est nobilior effectu ; in deordinatis , non semel contrarium accidit.

27 Nullum omnino effectum reperire fas est , qui causam efficientem principalem nobilitate superet ; ad summum adaequat.

28 Causae sunt sibi invicem causae : axioma istud quomodo intelligendum exponam.

29 Ad quam ex quatuor causis idea propriè pertineat non una est auctorum sententia : reducitur ad formalem ; ad efficientem tamen , et finalem aliquomodo pertinere non diffitemur.

Cau-

XXXIII

- 30 Causa efficiens est principium, à quo primò profluit rei productio.
- 31 Omni prorsus agendi vi creaturas expoliavit Cartesius, eisque duntaxat esse occasiones concessit, quibus praesentibus Deus quidquid fit operaretur. Somnium, delirium.
- 32 Duo in efficiente causa distinguuntur, virtus causandi, et actualis causatio, quae per actionem, seu agere constituitur.
- 33 Cuiusvis rei minus principalis productio, ad alterius principalioris ortum ex naturali cum ea conexione, dimanatio, seu resultantia nominatur.
- 34 Quemadmodum cives subditur civi, eique deservit, sic causa causae, eaque utitur: haec alteri serviens instrumentum vocatur, estque, causa agens in virtute alterius. Triplici modo hoc enodabimus.
- 35 Cum non uno semper modo causa causae subordinetur, eiusque agat virtute, non una est instrumentorum divisio. Dabimus.
- 36 Nequit causa quaevis alterius instrumentum constitui, ni eius virtutem accipiat, qua instrumenti vires roborentur, et eleventur.
- 37 Instrumento non sufficit virtus causae principalis; propriam ei inesse necessum est, quà causae principi cooperetur.
- 38 Finis nomine hic intelligimus id, cuius gratia aliquid operatur.
- 39 Veram, et realem causae rationem non est cur à fine excludamus. Est finis, ultimus, vel intermedius, cui, vel cuius gratia cet. roget, qui cupiat.
- 40 Boni rationem à re quacumque si demas, in eam ut in finem tendet numquam voluntas, malum qua tale appetere nescia.
- 41 Rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest, aiebat olim Augustinus: hinc ad amorem voluntatis duo concurrunt, apprehensio, finisque bonitas; illa tantum conditio; haec tota causandi ratio.
- 42 Abeant in malam crucem procacissimi illi homines, qui in Divinam Providentiam debachantes, eam de medio tollere non erubuere omnia temerariis, ac fortuitis concursibus tribuentes; sed clament licet ad ravim usque, sciant naturam à Supremo Mundi Rectore in finem prudentissime semper dirigi.
- 43 Nec aliud quidem evincunt monstra. Est monstrum effectus à rectà, et solitè dispositione insigniter degenerans: aperiemus causas monstrosae deordinationis.
- 44 Agentia ratione praedita perfectissimè in finem dirigi, tam certum est, quàm quod certissimum.
- 45 Implicat duas totales, eiusdemque ordinis causas eundem numero producere effectum.

XXXIV

46 Nec idem effectus , qui ab hac , potuit ab alia causa produci.

47 Fortuna , et casus , superstitiosis Gentilium opinionibus spretis , sunt causae per accidens efficientes , ex quibus effectus praeter intentionem sequitur : utriusque discrimen adsignabimus.

48 Deo excepto , nihil omnino est , quod fortunae , et casui non sit obnoxium.

49 Absit à nobis longe fatum , quod sensu Gentium ineluctabilem rebus imponat necessitatem. Legitime explicatum admittimus.

Dei existentia , et attributa.

50 Effraenis , quae mortales transversos agit , opinandi libido , eò audaciae rapuit illos , quos dicunt Spiritus fortes , ut nullum extet tam dubitationis expers axioma , quod non male ista feriata capita in discrimen verterint. Sic inconcussum dogma illud existentiae Supremi Numinis , feracioribus etiam Nationibus haud incognitum , in dubium revocare sunt ausi. Ve vobis impietatis gregales !

51 Hanc veritatem , quae naturae vox esse videtur , omni naturalium argumentorum genere commonstrabimus , quinque praecipue , quae dexterimè tractavit Aquinas.

52 Religio , quam Deo debemus , sancta quidem est , et opere exequenda. Sed ehu ! ratione caligante , calcitrantibus concupiscentiae aciculis , recta illa stare , nisi revelatio accesserit , diu nequit.

53 Imo et ipsa Religionis naturalis capita , in remotioribus saltem conclusionibus , nisi à Deo revelentur , innumeris erroribus non possunt non esse permixta. Ergo revelatio nedum ad supernaturales veritates , sed ad naturales etiam prorsus est necessaria.

54 Polytheorum deliria contemnentes unicum tantum Deum colimus , Deorumque pluralitatem nihil nisi implicantiam esse arbitramur.

55 Cuiusvis compositionis umbra Deo repugnat : obmutescant Antropomorphitae , Spinoza , caeterique Divinae simplicitatis osores.

56 Non est Deus quasi homo , ut mutetur.

57 Omnia sua replet immensitate.

58 Nec est impossibile apud Deum omne verbum.

59 Circa cardines Coeli Deus perambulat , nec nostra considerat ; sic immanissimi Deistae. O error siccis oculis haud ferendus ! Nihil est quod eius subterfugiat oculatissimam providentiam.

Ne-

XXXV

60 Nendum Deus creaturis activas contulit vires , easque conservat , verum etiam eas seu liberas , seu necessarias ad operationem applicat , et movet , motione illa , quae praemotio , seu praedeterminatio physica nuncupatur.

61 ; Ergo simultaneum Dei ad actum quemlibet concussum , excludimus ? Spurium , Deoque indignum reiicimus ; probe vero explicatum admittimus.

62 Quonam pacto Deus concurrens ad actionem peccati , nec inde maculetur , nec humana laedatur libertas , nostrum erit adperire.

Angeli.

63 Extare Angelos , id est , substantias nobilioris naturae , quam Anima rationalis , corporea extensione omnino vacuas , adversus Sadducaeos , Hobbesium , aliosque eiusdem furfuris nebulones sustinemus.

64 De angelica cognitione , loquutione , corporumque assumptione , pauca rogati , ne ad Theologorum castra migremus.

Rationalis Animae origo , et natura.

65 Principium illud , vi cuius homo ratiocinatur , iudicat , vult , non vult , cet. Animam appellamus , cuius existentia sensu intimo convincitur;

66 Animas multo ante corpus esse creatas , astra incoluisse , indeque in criminum poenam in carcerem corporis fuisse detrussas , à quo pro meritorum diversitate in aliud corpus transmigrant , stulta fuit Pythagoraeorum sententia.

67 Ab his non multum , à veritate vero longissimè , distat Leibnitius statuens , animas initio temporis à Deo conditas , corpusculisque organicis esse inclusas , cum quibus in uteros matrum transeunt.

68 Divinae substantiae animam quamdam esse particulam , Stoici , Manichaei , aliique pestes tenuere : toto coelo distamus.

69 Eadem , qua priores corda aberrant , qui humanam Animam ex trahere putant oriri.

70 Anima humana nec extensa , nec solida , nec divisibilis est , sed substantia spiritualis corpore superior , ab eoque omnino diversa. ; Audistis Materialiae pessimi ? Inite nobis singulare certamen.

71 Immortalitas definitur perpetua substantiae viventis in suo agendi statu perduratio ; duplex , intrinseca , et extrinseca.

72 Fremite perditissimi libertini ; Anima rationalis vestrorum malo in aeternum est duratura ; idque ratio naturalis demonstrat.

Que-

XXXVI

73 Quemadmodum Cartesius essentiam corporis in trina extensione reposuit, ut alibi diximus, sic Animae essentiam in actuali, perennique cogitatione locavit. De opinione ista, idem, ac de illa habeto iudicium.

Animae facultates, et dotes.

74 Intellectus praecipua rationalis Animae dōs, est facultas perceptiva veritatis, seu entis sub ratione veri. Est multiplex, de quo in arena loquemur.

75 Obiectum intellectus humani pro statu vitae huius, est quidditas rei materialis, vel sensibilis, et ea, quae ex sensibilibus queunt deduci. De ingeniorum diversitate interroga.

76 Nihil intellectus cognoscit nisi per abstractionem à materia, quomodo hoc contingat explicabimus.

77 Diffinitur voluntas, alia Animae humanae facultas, appetitus rationalis, seu inclinatio in bonum per intellectum apprehensum.

78 Miram actuum humanorum armoniam, ad negotium quodlibet prudenter procuratum concurrentium, à prima boni apprehensione ad ultimam usque fruitionem, declarabimus ex sententia Thomistarum.

79 Libertas servituti contraria tot modis, ac ea dicitur, quos in circu apperiemus.

80 Prae caeteris ea nobis arridet liberi arbitrii definitio, quae ex Ang. Thoma circumfertur, *vis electiva mediorum servato ordine finis.*

81 Thomisticam libertatis notionem ab ovo, primordiisque suis repetitam praeeunte Scholarum Sole, tradere pollicemur.

82 Indifferentia ex ipsa vi nominis est, qua unum perinde se habet ad plura. Non uno tantum modo partitur; ostendemus.

83 Ea libere velle voluntatem, quae etsi non coacte, necessariò tamen vult, est Cornelii Jansenii opinio, cui adversantes indifferentiam aliquam libertati necessariam adstruimus.

84 Ast quaenam ex variis indifferentiae speciebus? Audi. Ad arbitrii libertatem necessaria est tam obiectiva, quam subiectiva indifferentia.

85 Naevus libertatis est ea, quae moralis dicitur, seu ad bene vel male agendum.

86 Quam contrarietatis, aut quoad specificationem vocant, ad libertatem non exigitur; sufficit contradictionis, et quoad exercitium.

87 Physicam memoriae causam ex fibrillarum cerebri flexibilitate repetendam opinamur.

Ani-

XXXVII

Anima coniuncta corpori , et separata.

88 Censuit olim Plato animam corpori praeesse , veluti nautam navi , illaque uniri ut motor mobili , et uti homo vesti , qua induitur. Huic Animam formam corporis esse neganti , recentiores subscribunt Cartesius , Malebranchius , aliquie ; istorum nulli adhaeremus.

89 ? Sed qua ratione dispare illae substantiae corpus inquam , et spiritus stricto tam foedere copulantur , ut arctum illas inter comercium admireremur ? En nodum gordiano intricatiorem , quem extricaturi Philosophi in varias abierunt hypotheses , de quibus sequentia pronuntiamus.

90 Comercium nihil est aliud , quam statuta quaedam ab Auctore naturae lex , qua fit , ut positis quibusdam in corpore motionibus , nonnullae in anima respondeant perceptiones , vicissimque.

91 Causarum occasionalium systema à Cartesio involutis primò terminis propositum , dein à Malebranchio enucleatum , et Philosophum dedecet , et Christianae adversatur Theologiae.

92 Nec felicius rem egere Leibnitius , Wolphius , aliquie harmonistae , quorum hypothesis , quae harmoniae praestabilitae vocitatur , fons grandis est plurium physicae , et fidei errorum.

93 Influxus physici opinio , etsi difficultatibus implicata , commodius tam caeteris mentis , et corporis iuncturam explicat ; hancque hodieum communiter amplectuntur Philosophi.

94 Hoc semoto influxu compositum illud solvitur , moritur homo , separatur spiritus , cui à corpore etiam semoto formaliter insunt intellectus , et voluntas , radicaliter sensitivae potentiae.

95 Easdem , quas nunc , habet anima post separationem cognitionum species.

Creatio , et Miracula.

96 Quid valeant naturaliter spiritus creati operari , actum iam video ; quid autem non possint dicendum.

97 Quae ex nihilo , nullo praesupposito subiecto fit productio , appellatur creatio.

98 Haec tempus , aut successionem nescit ; actio est instantanea.

99 Creatura nulla nec princeps , nec instrumentalis causa creationis essequit.

XXXVIII

100 Miraculum est , effectus solius divinae virtutis praeter ordinem totius naturae creatae. Hanc ex D. Th. hausimus diffinitionem , hancque spuriis Spinozae , Lockii , Clarckii posthabitis , tuemur.

101 Tres ab Ang. Praec. recensitos miraculorum ordines , et gradus , quibus praecedens definitio evadat illustrior , enumerare promitto.

102 Benedictus Spinoza , quo imperitior nemo , propter Dei immutabilitatem miraculi possibilitatem est inficiatus ; impium hunc hominem sequutus est Wolphius , aliquique perditionis filii , cum quibus nobis nihil est commune.

103 Creaturarum nulla principaliter miracula valet edere ; tantum ille , qui facit mirabilia solus.

104 Instrumentaliter verò Angeli , et homines miracula vera queunt operari.

105 Haec virtus nunquam à Deo Doemonibus confertur.

106 Hinc , quae de Tyanaeo , Aesculapio , Vespasiano , aliisque recensentur miracula , aut putida sunt figmenta pree odio in Religionem conficta , aut naturae potestatem haudquaquam excedunt.

En his explicitum specimen nostrae in Philosophiam operaे ; si palato sapit , gratulor ; si autem cartas hasce flammis , seu cuicunque alio destines usui , nihil movebor : eumdem me aliarum huiusmodi fecisse memini , semperque præsens mihi fuit illud Ioannis Ovven.

Non cuivis Lectori , Auditorive placebo;

Lector , et Auditor nec mihi quisque placet.

V. D. D. Ioannes Pont et Tormo,

Vt. Balaguer,

V. G.

Cens. Reg.

V. D. D. Salvator Puche,

Stud. Reg. et Rect.

Imprimatur,

Salvador.



